DE STATV ECCLESIAE ET RELIGIONIS IN REGNO PERSICO

Matthaeus Dresser



GENEROSA INDOLE, NOBILITATEQ; vera conspicuis juuenibus, ac Dominis, MARCO & CASPARI, fratribus, IAROSLAOQ; patrueli Olesnitzkijs de Olesnitzki, Polonis, Lipsiæ, in studijs doctrinæ literarum versantibus, dominis & amicis.

S. D.

MATTHAEVS DRESSERVS.

OLim in Græcia conuentus erant Olympici, qui quinto quoque anno celebrabantur, ad quos ex omni Græcia confluebat ingens multitudo juuenum & senum, & quam quisque artem didicerat, eam ibi tanquam in frequentissimo orbis terræ theatro ostentabat.

Venit eodem cum patre ſuo Oloro Thucydides puer, & audiuit Herodotum hiſtoriam ſuam Græciæ populis recitantem. Inter auſcultandum verò tanta cupiditate ardoreq́ꝫ mentis ad gloriam incenſus eſt, vt lachrymæ ex oculis eruperint. Quod vbi cognouit Herodotus, adijt eum, & perſpecta illius mirifica indole, hortari cepit, vt rectis ſtudijs ad laudem ſapientiæ contenderet. Tum patrem etiam ipſum Olorum monuit, ne ingenij tanti vim negligeret, ſed liberaliter inſtituendum doctrina tantum filium curaret. Quod etiam factum eſt, & inde Thucydides in virum ſapientem, eruditum, & gloria prædicationeq́ꝫ ſempiterna dignum euaſit.

Conſpexi & ego, MARCE, CASPAR, & IAROSLAE Oleſnitzkij de Oleſnitzki, veſtrum in me audiendo ardo-

do ardorem, curam, attentionem, & assiduitatem, dum historias & latinæ eloquentiæ autores enarraui. Quo quidem spectaculo sic inflammatus fui, vt mihi spem fructus magni & vberis de vobis pollicitus sim. Fieri enim non potest, quin studia in adolescentia, tanquam in herbis, significent, quantæ fruges industriæ sint futuræ. Paria hæc erant vobiscum, MARCE & CASPAR, SEBASTIANO fratri, dum vita ei suppetebat, Quippe qui contentione laudabili cum æqualibus, alacritate, & vigilantia certabat, non paucos etiam iisdem rebus superabat. Cui, postquam munus pensumq; sibi assignatum in ardente literarum studio cum pietatis ac veri cultus diuini cura perpetua coniuncto, in his terris absoluerat, DEVS quietem beatam in cœlis, hoc anno currente, mense Augusto, tribuit.

 Vobis

Vobis ergo in hoc tam præclaro doctrinæ honestæ & fructuosæ cursu versantibus, hoc meum de studijs vestris iudicium, quasi quoddam testimonium industriæ, per hanc compellationem, impertire placuit: quo non tam vos, vt in via sapientiæ & virtutis, quam ingressi estis, progrediamini, incitarem, quàm parentibus vestris, viris generosis & eximia laude pietatis atque iudicij, grauitatis ac sapientiæ præstantibus planum facerem, optimè poni sumtus, quos in doctrina & educatione vestra liberali collocant. Ita enim futurum esse omnino mihi persuadeo, vt non ita multò pòst literarum scientia, & eloquendi elegantia instructi domum redeatis, ac parentes lætitia afficiatis, vobis verò ac patriæ honori ac emolumento sitis. Quam quidem ad rem

adiumen-

adiumentum magnum affert IOANNES GROTHERVS Roſtochienſis, in cuius diſciplinam à parentibus traditi eſtis. Nam & ad pietatis ſinceræq; religionis cultum vos traducit, & omni doctrina honeſta erudit. Tum, quod plurimum in hoc genere valet, exemplo ſuo ad ſummæ laudis ſtudium inflammat, & ipſe caſtiſsimus, ac omnis officij diligentiſſimus vobis documenta pudoris, induſtriæ & prudentiæ præclara præbet. Hoc igitur præceptore, nihil dubito, quin ad ea, quæ paratis, meditamini, ac cogitatis, multum profecturi ſitis. Quod quidem deſiderium veſtrum pium & ardens vt expleat is, qui omnis ſapientiæ & felicitatis noſtræ autor & dator eſt, ex animo precor. Ego profectò aliud nihil in hac compellatione mea ſpecto & quæro, quàm vt

voce & affectione animi in vos singulari vobis gratuler, & propositum inceptumq; studiorum vestrorum cursum mihi probari vehementer, ostendam. Valete, Lipsiæ, Calend. Februarij, Anno salutis per Christum reparatæ 1589.

DE

DE STATV EC-CLESIAE, ET RELIGIO-nis in regno Persico.

CVm Apostolus ex Psalmo ait, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum: velut superiori è loco concionans nos omnes admonet, vt totam animis tanquam oculis lustremus terram, & vbi, qualisq; sit Ecclesia, exquiramus. Cùm enim Catholica ea sit, vt totum terrarum orbem complectatur, in omnesq; illius partes atq; angulos diffundatur necesse est. Quod cùm de Ecclesia nos credere ipsum DEI *verbum sanctum, & fides nostra Christiana*

jubeat: etiam sedes eius, ac religionis statum, qui vbiq; locorum est, explorare conuenit. Id enim & fidei veritatem confirmat, & solatij multum affert: quando videlicet lucem verbi diuini longè lateq; ad fines vsq; terrarum dispergi intelligimus, per eamq; ad societatem regni atq; beatitudinis æternæ omnes mortales, fratres & sorores, quocunq; in loco sunt, vocari perspicimus. Tum etiam hoc cõmodi inde percipimus, vt cognita diuinæ lucis vsura, quæ nobis præter cæteros, DEI munere conceditur atq; tribuitur, caussam nos etiam habere iustam gratias DEO agendi pro tanto beneficio statuamus,

mus: fratrum verò sororumq; nostrarum per vastas mundi regiones dispersarum fortunam misereamur, maioreq; diuinæ lucis facultatē illis precemur. Vt ergo superiori oratione de religione in Aethiopia, statum Ecclesiæ, quæ est ad Austrum, exposui: sic hac narratione de religione in Persia, eiusdem conditionem, quæ est versus Orientem, explicare conabor. Vnde, qui DEI *cultus in bona magnaq; Orientalium regionum parte vigeant aut vsurpentur, quod ad eius fieri potest, constare possit.*

Ante omnia verò de situ & magnitudine Persiæ hoc tenendum est, regnum Persicum, quod Sophorum

phorum nunc vocant, complecti maximas Orientis regiones, Assyriam, siue Babyloniam, Mediam, Persiam, Hircaniam, Parthiam & Caramaniam. Quarum vnaquæq; tam latè patet, vt regnum florens & amplum iure omni habeatur. Assyria in primis nobilitata est propter monarchiam primam, quæ autore Nimrodo illic cœpit, anno mundi 1788. & annis 1360 durauit. Eius caput sedesq; regia Babylon annis amplius mille sexcentis, fuit. Etsi autem Persarum Rex in hodiernum vsq; diem Babylonicum regnum sibi vendicat, & Calypham Magnum, hoc est, dominum supremum

premum Assyriorum sese appellat: Turca tamen loca illa partim vasta, partim florentia longè lateq; tenet, vbi Babylonici regni sedes olim fuit. Quin ipsius etiam Babylonis rudera, quæ conspiciuntur, poßidet, & vrbi amplæ Bagaded, quæ & Baldach dicitur, dominatur. Est autem Bagaded ad Tygrim sita, itinere vnius diei & dimidij à Babylone distans, quæ Seleucia quondam & Ctesiphon vocitata est, ex ruderibus Babylonis ædificata. Paret & ipsa Imperatori Turcico cum tota regione illa vsq; ad Balsaram ciuitatem in extremis finibus Turcicis, vbi Tygris Euphrati miscetur. Est sub eius-
dem

dem etiam imperio Niniue, quæ euersa & vastata à Babylonicis Regibus paulò ante primum vrbis Hierosolymæ excidium, in ruinis tota jacet. Sed eius loco hodie vrbs est, quæ Mossel appellatur, cum alijs oppidulis ad Tygrim in finibus maioris Armeniæ extructa. Mediæ quoq; celebre nomen est in historijs propter Darium Medum, qui cum Cyro Monarchiam à Chaldæis ad Medos & Persas transtulit. Huius ciuitas præcipua nominatur Ecbatana, hodie Tauris, quondam Mediæ regum, nunc Sophorum & Persarum sedes. Persia & Persis latè etiam patet, cuius caput hodie est Siras

sine

siue Sitia, Sophorum hybernum domicilium, quemadmodum Tauris æstiuum. Hyrcania opibus maximè affluit. Parthiæ metropolis Charras & Hecatompyle appellatur à centum portis. Caramania partim deserta est, partim moribus Persicis viuit. Incipiunt hæ omnes regiones à fine climatis tertij, & tendunt vsq; ad finem septimi. Reliqua non est huius instituti persequi. Hæc verò attingenda fuerunt, vt qua in mundi parte situm sit regnum Persicum, & quàm latè pateat, aliquo modo cognoscatur. Nunc statum Ecclesiæ explicaturus diuidam omne Persarum regnum in tempora

octo

octo. Primum complectitur spacium à condito mundo usque ad monarchiam. Secundum, monarchiam ipsam, cum sequentibus annis usque ad natum Christum. Tertium, à nato Christo usque ad Saracenos. Quartum, seruitutem sub Saracenis. Quintum, sub Tartaris. Sextum recuperatam libertatem per Gemsam Parthorum regem. Septimum, Magni Vsancassanis, qui unus ex Persiæ satrapis regno potitus est. Postremum, ab Ismaële Sopho ad hanc usque ætatem. His regni mutationibus singulis singulæ etiam ferè religionis mutationes factæ sunt.

Primam Ecclesiæ sedem DEVS collocauit

collocauit in Oriente, nec post eiectionem parentum ex Paradiso alibi fuit Ecclesia Adami, quàm in Orientis ea parte, in qua Damascus postea est condita. Id quod inde conijcere licet, quòd Abelus nomen agro & vrbi Damasco à suo sanguine indidit. Cainus verò occiso fratre, in vrbe Hanoch à se condita, vbi post diluuium Babylon ædificata est, habitauit. Quid? quod post diluuium etiam iisdem in regionibus Orientis Ecclesia ædificata est. Noamus enim in Armenia. Semus Hierosolymis verbum DEI *propagauit. Elam verò Semi filius in Persia, quæ ab eo etiam nomen adepta est,*

 auitam

auitam religionem coluit: quemadmodum Assur eiusdem Semi filius Assyriæ nomen suum & cultum DEI importauit. Ex quo sanè de statu Ecclesiæ, qui tunc fuit, iudicare non est difficile. Adamus enim veram & ex ore Dei ipsius acceptam atq; haustam religionem professus est. Eandem sonuerunt etiam & propagarunt Semus, Elam, Assur, & alij.

Simulac verò impius Cainus, & post diluuiũ Nimrodus amœnissimas Orientis regiones occuparũt, nouos etiã Dei cultus inuexerunt, & Ecclesiam sanctã in hypocriticam & idolatricã conuerterunt. Inde cultus ignis in Chaldæa, horribili

ribili furore exarsit, nec deleri postea in illa gente potuit. Quod enim DEVS *igne de cœlo cadente cultum sanctorum patrum in sacrificijs comprobauit, id Satanas operum* DEI *æmulus ad stabiliendam idolatriam detorsit, & ex igne* DEVM *effinxit, effecitq́; adeò vt flamma tanquam* DEVS *adoraretur. Nota est enim pompa Persica, in qua regem præcessit equus gerens paruam aram, ex cuius cineribus flammula sacri ignis effulsit, quæ Orimasda fuit appellata. Regem verò proceres regni & turba ingens populi secuta est. Hæc res Abrahamum etiam impulit, vt relicta patria, ex Vr*

Chaldæorum ad Semum veræ Ecclesiæ antistitem, & incorruptæ religionis custodem migraret. Hæc igitur fuit & mansit religio Chaldæorum & Persarũ vsq; ad tempus exilij Iudæorum, quo Daniel & alij pij semina veræ religionis passim in Assyria & Persia sparserunt. Non enim dubium est, per id tempus in vtraq; monarchia, Assyria & Persia, veræ de DEO *doctrinæ fundamenta esse iacta: quando scilicet non Daniel solùm, sed cæteri etiam Iudæi verum* DEVM *confessi sunt, & miraculis illustribus eorum doctrina & cultus fuit confirmatus. Ac in Assyria quidem Nabochdonosor*

& fi-

& filius eius Euilmerodach, in Media verò Darius Medus, in Persia deniq; Cyrus ad agnitionem veri DEI conuersi sunt. Neq; id solùm, sed edicta quoq; pietatis plena à Nabochdonosore & Dario de colendo Danielis DEO per vniuersum regnum proposita sunt. Ex quo sanè intelligitur, religionis veræ cultum in monarchia Persica viguisse, & diu retentum esse. Etsi enim in regno Assyrio Balthasar nepos Nabochdonosoris oblitus auitæ castigationis, idolorum cultum restituit, & palàm vero DEO populi Israëlitici maledixit: citò tamen repressa est eius impietas, & regnum ab eo ad Darium &

Cyrum translatũ, per quos verus etiam DEI cultus vindicatus est. Manserũt huius religionis reliquiæ quædam in gente Persica ad illud vsq; tempus, quo filius DEI homo factus, & rex Iudæorũ natus est. Id enim indicat Magorum aduentus ex Persia in vrbem Hierosolymam ad adorandum Meßiam, quem Iudæorum regem vocabant: cùm tamen sat scirent, seruitute misera tunc oppreßam esse Iudæã. Consentaneum est igitur, eos aliquam habuisse de Meßia venturo noticiam, quæ absq; dubio ex Danielis Ecclesia atq; doctrina in Persico regno propagata fuit reliqua. Rex quidem, Persarum

more

more institutoq́, tanquam DEI simulacrum adorabatur, vt Plutarchus scribit in vita Themistoclis: qui & ipse regem adorare coactus fuit. Quanquam enim excusare se studebat, Græcũ sese esse inquiens: tamen cùm magnis de rebus communicare cum rege vellet, respondit ei Artabanus: Nobis cùm multæ atq; pulcerrimæ sint leges, illa omnium honestissima est, obseruare regem, simulacrumq́; DEI omnia seruantis adorare. Parere igitur si nostris legibus volueris, regemq́; adoraueris, fas tibi erit intueri regem, atq; alloqui. Sin autem tibi alia mens est, internuncijs tibi ad regem vtendum

erit. Non enim patrium est regi, hominem minus adorantem audire. Hæc vbi audiuit Themistocles, legibus Persicis se obtemperaturum promisit, & regem adorauit. Verùm externus hic tantùm fuit cultus gestu declaratus: alia longè fuit adoratio infantis IESV, regis Iudæorum. Minimè enim vt regem politicum adorarunt illum Magi, quod neq; iustum fuit, neq; lex Persica permisit, vt externum regem adorarent. Itaq; de interno cultu hæc Meßiæ adoratio à Magis facta intelligi debet, qua diuinum honorem & omnipotentiam illi tribuerunt, tum gratiam etiam, iustitiam, & vitam ab eo petiue-

petiuerunt. Hæc quia non aliunde nisi ex sancto DEI verbo cognosci possunt, apertum est, verbi diuini reliquias ex Danielis Ecclesia ad illud usq; tempus nati Meßiæ in Persia extitisse.

Magi porrò Susæ, quæ metropolis Persiæ fuit, Academiam celebrem habuerunt, quæ liberalibus studijs & doctrinis optimis affluxit. In ea principes eruditi sunt, literisq́;, sapientia, iusticia, & fortitudine instructi: ut inde Reges, Satrapæ, & principes ad omne munus publicum prodirent. Mansit etiam absq; ulla dubitatione in ea Meßiæ venturi noticia ex Danielis vaticinio: Unde & tempus

natiuitatis eius æstimari potuit. Quod quidem cùm iam instare, vel potiùs completum esse certò statuerent Magi: diuinitus excitata illustri in aëre stella, iter ducentorum triginta milliarium ingressi sunt, vt debitum honorem cultumq; Messiæ nato tribuerent. Vt autem Susa eos venisse Hierosolymam credamus, Euangelistæ testimonium nos mouere debet, qui disertè affirmat, ex Oriente illos accessisse, vbi sita est Susa, non à meridie, in quo collocata fuit Saba. Confecto iam itinere tam longo, spe & fiducia plena Hierosolymam ingressi, non quærendum sibi existimarunt, an, & quo tempore

natus

natus esset Messias. Id enim probè cognitum exploratumq; ex Prophetia habebant: sed vbi esset natus. Duxerat autem eos stella Hierosolymam ad sedem Ecclesiæ primariā duabus de caussis. Primùm, quòd Sion esset mons electus à DEO, *vt esset sedes regni & sacrarij, quemadmodum Psal. ait 132. Quoniā Sion elegit Dominus, ibi cupit habitare. Unde quoq; initium prædicationis Euangelij per* CHRISTVM *ipsum & Apostolos factum est. Secundò, vt Magorum aduentu & testimonio omnes Hierosolymitani, excusso veterno, ad quærendum & amplectendum Messiam natum incenderentur.*

Ac

Ac mirum est, cùm locus natiuitatis Messiæ ex Prophetia apertus cognitusq; fuerit, non ipsum etiam Messiam à cœcis & obstinatis Iudæis esse exceptum. Quod & Magi ipsi absq; dubio mirati sunt, nihil moueri Iudæos aduentu Messiæ tam longa seculorum & ætatum serie expectati, cùm procul in Persia eius natiuitas in summa expectatione fuisset. Hinc igitur profecti cùm ad locum venissent, Deus bone, quanta læticia diuturni desiderij sitim expleuerunt? Tunc enim re euentuq; comprobatum tandem cognouerunt id, quod certò Prophetæ prædixerant, & pij omnes crediderant. Prostrati igi-

tur

tur corpore & animo, suam in Messiam pietatem fidemq; testati sunt, & lætis animis DEO *gratias pro tanto dono Messiæ exhibiti egerunt: tum muneribus etiam tanto rege & victore peccati, mortis, Satanæ, & inferni dignis affecerunt. Accessit diuinum oraculum, quo admoniti sunt de via, per quam redire in Persiam deberent. Hoc igitur peracto opere, ad suos reuersi beneficium nati Messiæ absq; dubio omni prædicarunt, lateq; famam de exhibito Christo dissiparunt, nec in Academia solùm, cuius Professores erant, Messiam docuerunt, sed Euangelij etiam doctrinam longè lateq; diuulgarunt.*

Sic

Sic ergo Christiana religio statim Christi in carnem aduentu Persis innotuit. Non enim latere voluit Christus sua beneficia, nec ad paucos ea restringi passus est, sed in omnes mundi partes diffundi, cunctasq; creaturas participes fieri æternæ consuetudinis optauit. Hinc adeò factum esse credo, vt in prima pentecoste Christiana, discipulis miraculosè varijs linguis loquentibus, etiam Parthi, Medi, & Elamitæ, hoc est, Persæ, auditores fuerint. Postea verò secundum Christi mandatum cœptum est Euangelium non solùm ab ipsis Apostolis, sed ab eorum etiam discipulis in omnibus partibus

bus mundi disseminari. Nam Thomas in Parthia, Media, Persia: Bartholomeus verò in Armenia & India præconium fecit, vt scribit Eusebius. Etsi igitur ignis cultores vocantur Persæ in historijs: tamen magna eorum pars Christū etiam cognouit & coluit: vt vera ex omni parte sit Ecclesiæ definitio. quòd sit cœtus credentium per totum terrarum orbem dispersus.

Nec dubium mihi est, mansisse aliquam veri Dei & filij eius Iesu Christi noticiā, & cultum in Persia vsq; ad Saracenorum dominatum, qui vnà cum seruitute etiam

religionis

religionis obscurationem & errores inuexerunt. Armenios certè Christianos, & quidem pietatis studiosos vocat Eusebius lib. 9. cap. 7. Quin Episcopum etiam Ecclesiæ per Armeniam disertè nominat Merutanem lib. 9. cap. 46. Quo tempore Imperator Diocletianus grauissimè passim afflixit Christianos, circa annum à nato Christo 284. Deinde eiusdem Ecclesiæ Episcopum Eustathium Socrates lib. 2. cap. 43. Theophilum verò idem lib. 3. cap. 24. appellat. In Persia verò Ecclesiam numerosam fuisse Constantini Magni tempore post annum Christi 300, Eusebius in

vita

vita Constantini scribit. Sozomenus autem Persas ab initio Christum professos esse, & Diabenorum regionem omnem Christum coluisse, lib. 2. capit. 12. confirmat. Constantinus equidem victis ac debellatis omnibus suis hostibus, qui Christi nomen oderant, & in vniuersum delere constituerant, enixè operam dedit, vt Christianæ religionis professionem cunctis gentibus commendaret. Cùm igitur id temporis Persæ quoq́, cùm ex vicinorum Armenorum & Osroënorum familiaritate, tùm ex diuina gratia radios longè lateq́ de lumine suo jaciente, in Christi cognitione cultuq́ indies confirmarentur

 atq́

atq; augerentur: exarsit immane odium Magorum & Iudæorum in illos, qui etiam Sapori ea tempestate in Persia regnanti autores fuerunt, vt eos vinculis, verberibus, & omni supplicio excruciatos necaret. Hæc ergo crudelitas pium Constantini pectus sic affecit, vt omnes vias subleuandi afflictissimos in Perside Christianos persequeretur. Cùm autem remedium aliud nullũ inueniret, per legatum Persicum, qui tunc aderat, literas ad Saporem dedit, quibus seuerissimè eum hortatus est, vt Christum profitentibus parceret. Rationes addidit grauißimas, quibus flecti etiam durus & ferreus animus

mus poterat. Primùm, inquit, ceremoniæ Christianæ religionis eiusmodi planè sunt, vt reprehendi non poßint. Non enim victimas mactant, vt Ethnici, sed incruentis gaudent sacrificijs. Deinde preces Deo adhibent, non vllo merito aut dignitate propria nitentes, sed fide pietateq; vera ardentes. Tum Deum propitiũ habere omnes asseuerauit, qui Christianos foueant ac tueantur. Jdq; exemplis comprobauit in vtramq; partem, tam eorum, qui Christianã religionem prouexerint, quàm aliorum, qui eandem delere conati sint. Valerianus enim ob Christianorum odium & insectationẽ de summo fastigio

deturbatus, omnibusq; Imperij ornamentis ac præsidijs spoliatus, à Persis, modis indignissimis tractatus est, pœnasq; suæ acerbitatis & odij in Christianos justas grauesq; DEO soluit. Mihi verò, inquit, DEVS ob eiusdem fidei & religionis cultum atq; propagationem victoriam, pacem, & bona cætera cumulatè tribuit. Christianos igitur, quando ea es amplitudine, tibi commendo: hos ipsos, quoniam pietate quoq; præclarus es, tibi trado: hos congruente tibi humanitate & beneuolentia complectere, à te ipso simul & à nobis per fidem immensam initurus gratiam. Nicephorus lib. 8. cap. 28.

Est autem persecutio certissimum argumentum Christianæ fidei, & Ecclesiæ nota minimè fallax. Manifestum est igitur, ea tempestate Ecclesiam in Perside, fuso tam copiosè Christianorum sanguine, indies creuisse, & numerum Christianorum auctum esse. Id quod Augustinus quoq; confirmat Serm. 13. in octauum caput ad Roman. & Epistola ad Vincentium de hæresi Rogatiana, vbi ait, etiam apud Persas & Indos Euangelium non minùs, quàm antè, prædicatur.

Etsi autem negari non potest, consequentibus annis in Persia æquè atq; in alijs mundi partibus

 diminu-

diminutionem Ecclesiæ magnam esse factam, & in dies penè singulos, obscurata Euangelij luce, tenebras fuisse inuectas: tamen moueor autoritate, & testimonio Euagrij atq; Procopij, vt post quingentesimū etiam à nato Christo annum Ecclesiam in Armenia, & Persia fuisse statuam. Ille enim in Armenia pernobiles fuisse isto seculo Ecclesias lib. 5. cap. 7. tradit: hic verò lib. 2. belli Persici catholicum Episcopum Christianum in Persia nominat. Cui consentit Agathias lib. 3. vbi Stephano protomartyri templum magnificum in Persia extructū, & non procul ab vrbe Phaside Christianū templum fuisse affirmat. Nec sequentibus se-

culis planè deleri verbum DEI in Persia potuit. Nam de Chosroë Persarũ rege scribit Paul: Diaconus lib. 18. rerũ Romanarũ, eum Ecclesias omnes Christianorum in Perside spoliasse, & Nestorianam hæresin eis obtrusisse, non aliam ullam ob caussam, nisi ob odiũ, quod in Heraclium Imperatorem habebat. Bonfinius verò decadis 1. lib. 8. narrat, Heraclium in singulari certamine interfecisse Chosroëm, partaq; victoria, omnes Persas vltrò ei paruisse, & orthodoxam fidem amplexos esse, hoc est, abiecta hæresi Nestoriana ad orthodoxam fidem & confessionem reuersos esse. Nec dubium est, Heraclij &

Christianorum in Perside votis & precibus aßiduis tunc de Chös-roë impetratam esse victoriam. Bis enim miserat ad eum legatos Heraclius, per quos pacem etiam ignominiosam, vel certè inducias saltem sub annui vectigalis conditione postularat. Sed superbè tandem eis responderat Chosroës. se ab armis desistere non velle, priusquàm effecisset, vt abolito crucifixi DEI *cultu,* DEVS *Persicus adoraretur.*

Quod verò Platina & nonnulli alij scribunt, Cæsaream Persarum reginam circiter annũ Christi 683. inscio marito, nec multò pòst ipsum etiam regem cum quadra-

ginta

ginta millibus hominum venisse Constantinopolin, ibiq; baptismũ suscepisse, non abs re suspicionem fictæ narrationis dare videtur: præsertim cùm regis nomen nullum exprimatur: quod tamen vt fiat, historica fides postulat.

Extat porrò mentio Ecclesiæ Persicæ consequentibus etiam ætatibus, vsq; ad Mahometi dominatum, qui non solùm regnum Persicum totum complexus est, sed religionis etiam mutationem horribilem induxit, pro Christi inuocatione cultum Mahometi importans. Incidit hæc mutatio imperij & religionis in annum Christi 640, quo scilicet à Saracenis victi

in acie Persæ, occisoq́; eorum rege Hormisda, unà cum imperio etiam nomen amiserunt, & pro Persis Saraceni ceperunt appellari. Ab eo igitur tempore etiam lex Mahometica in Persia viguit, & quanquam indiscreta appellatio Turcorum & Saracenorum aliquandiu fuit: tantum tamen Turcorum nomen propter rerum gestarum magnitudinem tandem valuit, ut Saracenorum nomen obscurârit & aboleuerit. Nec tamen una consentiensq́; fides eorum fuit, qui Mahometi legem secuti sunt, indeq́; etiam hodie fit, ut à Turcis Persæ in religione mirè dissentiãt. Idq́; inde accidit,

quòd Hales gener Mahometi post mortem eius Alcoranum in multis locis immutauit, quædam sustulit, alia adiecit, nonnulla nouis interpretationibus correxit, & noua planè effecit. Hinc adeò euenit, vt in sectas complures lex Mahometica discerpta sit, quarum septuaginta duæ præcipuæ numerantur. Id quod in Alcorano expressè poni Maierius affirmat. Quod sic tamen accipi debet, plures quidem numerari sectas, sed ex his tamen omnibus vnam tantũ esse, quæ ad Paradisum ducat, reliquas verò omnes ad ignem æternum inferni. Iam verò illam sectam solis sibi vendicant Persæ,

Halis

Halis ductum sequentes, reliquas tanquam impias, impuras & prauas ad Arabes & Turcos reijciunt. Halem interuallo aliquo sequutus est Homar; Homarem Sophus: Sophum Guines, qui omnes Mahometanam legem sic interpretati sunt, vt nemo per eam salutem & vitam æternam consequi poßit, nisi ritus, quos ipsi tradiderint, teneat. Est præterea alius quidã Doctor Persicæ religionis, quam hodie sectantur, Scheiches Haidar, quem ob id Turci quoq; extremè oderunt: in tanta tamen acerbitate odij nihilominus inuenti sunt nuper admodùm penè innumerabiles paßim per Anatoliam

liam, qui abiecta religione Turcica, Persicam amare ceperunt. Nec in ipsa Imperij sede Constantinopoli defuerunt, qui cùm Persis sentire in religione, quàm cum Turcis mallent. Ac vt euidens nota esset, discernens Persas ab alijs Mahometanis, pileos siue tiaras sic mutarunt, vt pro spiris linteis, quibus Mahometani caput tegunt, Persæ pileos è lana colore rubro tincta compositos, & gradibus senis vtrinque distinctos, vt protendi & contrahi possint, gestarent, ex quo etiam Turci rubri solent appellari. Quin ritus etiam diuersos à Turcis tenent, & contrà quàm illi, qui quinquies interdiu

& no-

& noctu precantur, semel duntaxat preces Deo adhibent. Hinc igitur reliquum est dissidium acerbissimū & perpetuum inter Turcos & Persas, vt omnem sui regni conatum in perniciem Turcorum Persæ parent atq; conuertant, contraq; Turci Persarum nomen & regnum euersum atq; extinctum velint, cuius quidem conatus ipsorum perditi testis est locuples vox Muphtis, hoc est, Patriarchæ seu pontificis summi Turcorum, quæ percrebuit: Gratius esse acceptiusq; DEO, Persam vnum Mahometanæ religionis caussa occidi, quàm Christianos septuaginta interfici.

Circa

Circa Christianæ salutis annum millesimum, ducentesimum, quinquagesimum octauum, quo Tartari Persis imperare ceperunt, quidam Haolonus, expulsis Saracenis, Persas ad fidem Christianam reduxit. Hic captum Mahometicæ sectæ Doctorem Babyloniæ in quodam cubiculo inclusit, & amoto omni cibo potuq́; solo auro & preciosis margaritis pasci iußit, non vllas epulas conuenire, inquiens, huic, qui tantoperè aurum adamasset. Hoc igitur sublato, templa Saracenorum funditus euertit, contrà verò Christianorũ, quæ diruta jacebant, instaurauit, ipsosq́; Christianos euexit et

bono-

honoribus auxit, idq; suasu Haythoni Armeniæ regis factum esse Haythonus in historia Orientali scribit. Ut enim ab Armenijs semper religio Christiana culta est & propagata: sic in vicinam Persiam etiam & finitimas regiones ab ijsdem infusa fuit. Est autem duplex Armenia, minor & maior, quarum illa Turcico Imperatori, hæc verò partim Turcis, partim Persis subiecta est, & Turcomania hodie appellatur. Prædicatur in primis Armeniorum humanitas erga hospites Christianos, vtpote quos quacunq; de caussa ad se venientes ab iniuria prohibent, & quæ habent, largè eis impertiũt.

Patriarcham habent Christianum, quem Catholicum nominant, ac ritus vsurpant multos maxima ex parte cum institutione Christi & nostra Ecclesia congruentes. Sacramentum integrè distribuunt vtentibus, & tametsi Missas canunt, nunquam tamen sine Eucharistia id faciunt. Sacerdotibus coniugium Græcorū more permittunt, inuocationem intercessionemq; sanctorum cum pontificia Ecclesia admittunt, tum pro alijs etiam Sacramentum offerunt. Extat horum confessio de trinitate & filio Dei Iesu Christo, ex Athanasij scriptis excerpta, quæ cum nostra Ecclesia doctrina

 omni

omni ex parte consentit. Jeiunium magna seueritate obseruãt, & eius tempore ne ouo quidem vescuntur.

Hos à meridie ambiunt Iacobitæ Christiani, à Iacobo Syro nomen adepti, à quo etiam Monotheletarum hæresi fuerunt infecti. Infantes circumcidunt, baptisant, & insuper crucis signo in frontibus aut genis ferro candenti impresso insigniunt, moti scripturæ verbis, quæ docent, Christum Spiritu sancto et igni baptisaturũ esse. Proinde quasi res distinctæ sint spiritus sanctus, & ignis; & non una potiùs, nempe Spiritus sanctus, qui est flamma ex Patris & Filij pectore transmissa. Episcopatus

habent

habent octodecim, sed Patriarchã Græcum agnoscunt, à quo tamen in multis partibus dissentiunt, maximè tamẽ in ritibus, in quibus sum religionis præcipuã collocant. Nobilitata quoq; est religio Georgianorum intra Euxinũ pontum, & Armeniam. à Georgio duce suo nominatorũ, qui Christum & ipsi profitentur. Homines sunt simplices, & humanitatẽ præ se ferunt: robusti interim & bellicosi. Patriarcham habent peculiarẽ, & Episcopos complures. Etsi autem de religione aliqua est inter eos dissensio: in plerisq; tamen Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi doctrinã sequuntur. Deplorandũ est autem,

has ipsas Orientis Ecclesias in tot sectas esse distractas, vt aliæ Eutychetis, aliæ Nestorij dogmate implicatæ teneãtur, ac duas distinctas in Christo personas credant, quarum vna in terris, altera in cœlis fuerit. Latiùs grassata est hæc Nestorij hæresis, ac Syriæ etiam, Chaldeæ, Mesopotamiæ, Persidisq́ Ecclesias complexa. Etsi autẽ religionis vsum etiam sub Mahometico jugo minimè impeditum tenent: spe tamen libertatis recuperandæ legationem miserunt ad Carolum V. Anno 51, extantq́ eorum scripta nonnulla ad Carolum Burgundiæ ducem, & ad pontificem Rom. ex quibus cognosci potest, quàm auidè libera-

dè liberationem à Turcica serui-
tute expetant. Sed ad Persicam
historiam redeo.

Cùm annos iam supra centum
viginti octo Tartari in Asia &
Persia imperassent, vnà cum for-
tuna etiā religionis inclinatio in-
gens facta est, vt penè de cordibus
delapsa Christiana professio pror-
sus ceciderit. Inuentus enim fuit
Parthorū Sultanus Gemsa, Ma-
hometicæ superstitionis cultor a-
cerrimus, qui victus & profligatis
vndiq; Tartaris, iugum à ceruici-
bus Persarum depulit. Quod fa-
ctum est circa annum à nato Chri-
sto supra mille trecentos quinqua-
gesimum. Hic tenebras magnas

 induxit,

induxit, & pro Christo Saluatore Mahometum impostorem obtrusit.

In quo statu mansit Religio etiam cùm Vsuncassanes ex Assimbeia Turcica stirpe imperium Persicum inuasit. Nec hodie alia est Ecclesiæ facies: nisi quod credo apud Persas æquè atq; inter medios Turcos per vniuersum Mahometicum regnum tanquam in Medeæ sinu, Christianos passim diuinitùs foueri atque seruari. Anno autem Christi 1502. Ismaël cognomento Sophus, item Syach Ismaël, id est, Propheta Ismael, vnus de Hali prosapia, opinione sapientiæ

ſapientiæ & ſanctitatis Perſiam oppleuit. Is cùm in ſui admirationem plurimos traduxiſſet, armis etiam ſectam, quam profitebatur, tueri conatus eſt. Itaq; coactis centies, quinquagies mille viris armatis, Turcos Perſia expulit, & Bajazeto terrorem ingentem iniecit. Hic eſt Sophus ille, qui à DEO miſſus credebatur, vt vnam illam ſectam Mahometi, quæ ad Paradiſum ducit, tueretur, reliquas verò ſeptuaginta vnam euerteret & deleret. Quocirca omnes neruos regni ſui contendit, vt hoc quod in votis vnicè habebat, exequeretur.

Hæc ipsa etiam caussa est, cur exercitus paratos & faciles habuerit. Proprijs enim sumtibus militabant, perinde atq; in Christianorum Ecclesia factum est, cùm crux aduersus infideles distributa fuit. Propter hanc voluntatum inclinationem, quæ ad illum incubuit, opes Persicæ mirum in modum creuerunt, accurrentibus ex cunctis Asiæ locis ijs, qui sectam illam speciosam venerantur. Quò magis etiam hodie formidini terroriq; Turcis esse fortunam Persarum comperitur. Scribit Maierius, in aula huius Ismaelis porcum saginatum esse, qui Turcici Imperatoris nomine

Paza-

Pazabyth appellatus sit, quo odiũ immane in Turcos declararetur. Mira alia narrat de eodem, quòd tanquam Propheta à suis adoratus sit, nec se conspiciendum cuiquam præbuerit, nisi velata facie, ut Moysi similis videretur. Dicitur crebris sermonibus usurpasse has minas: Non cessaturam esse acinacis sui aciem, priusquam omnes versus meridiẽ adorantes, hoc est, Turcos, è medio sustulisset. Iccirco etiam templa eorum demolitus est, & quoscunq; vivos cepit, mala morte affecit. Nec Iudæis etiam pepercit, sed quotquot ferè comprehendit, oculis effossis; dimisit. Contrà verò in Christia-

 nos

nos beneuolentiam suam narrauit, & ab [illegible]orum templis vim abstinuit. Armeniæ Patriarcham, plurimosq; religionis & fidei Christianæ sacerdotes fouit. Eò deniq; omnes suas curas & cogitationes conuertit, vt legem Mahometanam, quam acerrimè odit, destrueret, & sanctam fidem Catholicam augeret. Aiunt etiam, Christianos passim frequentes per Persiam dispersos esse, qui religionem Æthiopici regis Ioannis preciosi profiteantur. Idq; inde factum esse scribitur, quòd Persæ non ita multò ante hæc tempora, circa annum videlicet sexagesimum

mum supra millesimum & quingentesimum à nato Messia ab Aethiopum rege Christiano auxilia aduersus Turcos petiuit. Hic verò opem & subsidium suum illi quidem haud denegauit, sed fœdus tamen & coniunctionem nullam satis firmam esse posse inter se & illum existimauit, nisi in religione etiam vtriq; consentirent. Si igitur societatem belli atq; periculi facere cum Æthiopibus Persæ cuperent, necesse esse, vt vna etiam mente, vnaq́; fide vnum D E V M *& vnum* C H R I S T V M *veri* D E I *filium confiterentur. Placuit con-*

ditio

ditio Persis, moxq; missi sunt in Persiam cum Patriarcha Sacerdotes ex Æthiopia, qui Christianam fidem prædicarunt, libros sacros importarunt, & ceremonias Aethiopicæ Ecclesiæ vsitatas induxerunt. Tum quia vtraq; gens Aethiopica & Persica Turcos odit, cepit eorum odio etiam circumcisio Æthiopibus & Persis odiosa esse, ne videlicet commune aliquid cum Turcis in religione viderentur habere. Sacramenta verò integra habent Persæ, & cœnam Domini sic celebrant, vt antequam eam adeant, pedes lauari sibi sinant. Quod hoc modo fieri solet; Assident ad riuulum,
qui

qui templum perlabitur, ij, qui cœna sancta vsuri sunt, ad eos accedit primarius quispiam ciuitatis, & pedes singulorum lauat. Hoc facto osculantur sese mutuo, & cœnam sanctam absque confessione, aut ceremonia alia sumunt. In templis suis imagines nullas ferunt, neque etiam Missas legunt, aut Psalmos canunt, sed horum loco citharas, tibias & alia musica instrumenta adhibent. Hinc mirificè aucta & amplificata est Ecclesia Christi in regno Persico. Ut autem nota esset, qua Persas reliquos à Christianis hisce discerneret, sinistro pedi crucem cœruleam Christiani imprimere ceperunt.

Ex

Ex quo ſanè intelligi facilè poteſt, ne nunc quidem fidem Chriſtianam in Perſide extinctam planè eſſe, ſed reliquias Eccleſiæ Catholicæ per ampliſſimas illas regiones paſſim diſperſas adhuc conſeruari. Credo enim, eandem pietatem in Chriſtianos etiam nunc in Mahomete Codabende, qui Perſica lingua ſeruus DEI eſt, reperiri: quippe qui ſectator huius diuini Iſmaelis haberi vult, nec minus, quàm ille, hæreticum Turcam odit, & delere conatur. Nec quicquam etiam quod ad efficiendi facultatem pertinet, prætermittit. Æquè enim miſſis ad regem Hiſpaniarum Chriſtianum

num literis, opem eius aduersus Turcos implorat, hortaturq́; vt, quamuis in religione differentiant, nihilominus tamen totis viribus in Europa illos aggrediatur, sese in Asia eum oppugnaturū esse satis pollicens. Cepit is regnare anno Christi 1577, & cum Turcis acerrima bella gerit. Ita ergo Christiana religio non per Turcicum tantùm regnum, sed etiam per Persicum disseminata mirabiliter inter hostes conseruatur, nec ferè angulus est mundi, quo non fama Christi penetrarit.

Prò tanta verbi diuini copia & propagatione est quod gratias

gratias DEO agamus, & deinceps etiam custodiri Ecclesiā petamus, donec cœlesti hospitio accipiatur, & ab exilio, ærumnis, squalore, & angustia liberata in æterna beatorum sede collocetur. Quod autem de Persia & eius religione hactenus demonstratum est, idem de Assyria, Media, & vicinis coniunctisq; regnis, quæ Persico imperio comprehenduntur, intelligi debet. Consentaneum enim est, has regiones cum eodem imperio si non omnino, tamen ex parte quadam contineantur, eandem etiam religionem, vel certè non multùm disparem vsurpare. Nisi quòd in alijs partibus plus, in

alijs minus errorum fortè reperitur. Certè eorum qui Chaldaam incolunt, alij Nestoriani sunt, vt scribit Haythonus, hoc est, Nestorij errore impliciti. Hiq; literis Chaldæis vtuntur. Alij sectam profitentur Mahometicam, & literas Arabicas habent. Quis autem est, qui pro rei atrocitate deplorare satis tantam calamitatem Ecclesiæ Orientalis queat? quæ obscurata luce doctrinæ cœlestis in tantis errorum nebulis versatur. Etenim maxima eius pars Mahometi blasphemias sequitur, & loco Filij DEI *Saluatoris nostri vnici, hominem ex fraude & scelere conflatum colit. Et quod*

lamentandum est magis, etiam illi ipsi, qui Christum profitentur, in horrendos errores inducti, Nestorianismum & alios errores retinent. In hanc igitur faciem Orientalis Ecclesiæ tam squalidam & miseram intuentes cohorrescamus totis animis, & iram DEI iustam aduersus impietatem & ingratitudinem nostram deprecantes, lucem verbi ardentius amemus, diuinitusq; regi nos petamus, ne vel propter ignauiam gratia DEI excidamus, vel propter cupiditatem errorum tenebras, quales Orientali Ecclesiæ offusæ sunt, temerè nobis accersamus. Illud tamen interim teneamus, etiam in magna

caligine

caligine Orientalis Ecclesiæ reliquos esse aliquos Christianos, qui Filium DEI profitentur & inuocant, quamuis pauci numerentur, vt semper Ecclesia exiguus est in mundo cœtus, ex magna colluuie gentis humanæ excerptus: ne desint, qui DEVM verè cognoscant & colant. Id enim ex prædictione Christi certum est, prædicatum iri Euangelium in vniuerso terrarum orbe vsque ad extremum diem, quo Ecclesia in æterna tabernacula recipietur. Nobis profectò, Orientalis Ecclesiæ historia eum fructum affert, vt ex collatione caliginis illius, & lucis, qua nos fruimur, magnitudinem benefi-

ciorum DEI in nos perspiciamus magis, & quotidie vota faciamus, ne propter ingratitudinem in easdem tenebras delabamur. Ut enim in Oriente cepit Ecclesia vera, sic ex ea paulatim progressa ad Occasum; hæc etiam loca arctoa complexa est, & hospitium nobiscum fecit, nec procul à fine peregrinatio, militiaq; eius abest: sed defessa iam labore & itinere, cursum abruptura esse videtur.

Hic est Ecclesiæ status, qui fuit & est hodie in Persia, ex autoribus probatis expositus, & temporibus distinctus, unde qualis ferè in singulis mundi ætatibus fuerit, cognosci potest.

Profectò

Profectò si quod aliud regnum, certè Persicum, insignes mutationes expertum est, dum inde vsq; à Monarchia per Alexandrum Macedonem destructa, cum Græcis, Romanis, Saracenis, Tartaris, de summa rerum decertauit, & hoc ipsò tempore cum Turcis de omnibus fortunis Reipub: prælijs frequentibus dimicat. Etsi autem minores sunt opes regis Persici, quàm Sultani Turcici, propterea quòd minus ille exactionibus subditos suos vexet atq; expilet, quàm Turca: tamen plus animi & neruorum in Persis est, quàm in Turcis. Quorum quidem dimicatio & victoria cùm Turcicum

 furorem

furorem à nostris ceruicibus repellat, caussam equidem optandi, dari nobis existimemus, vt benè feliciterq; conatus eorum in debellando Turca eueniant.



FINIS.



DE CL. V.

Matthæo Dressero,

ORATORE, PHILOSOPHO, ET MEDICO, VTRIVSq; LINGVÆ ET HIstoriarum in Acad. Lip. Professore.

Πολλὰ καλοῖς καλὰ τοῖς καὶ ἅπασι σαφῶς ὁ
ΔΡΕΣΗΡΟΣ.
ποιεῖ ἠὲ γράφει: ὅτι καλὸς πέλεται.
τοὔνεκα καὶ κείνου ἦτορ κεχαρισμένον ἔσαι
τῷ θεῷ: ἠὲ καλοῖς φήμη ἠὲ εὐσεβεία.

Multa bonis bona, perspicuè cunctisq;
DRESERVS,
Cùm sit & ipse bonus: scribit agitq;
benè.
Ipsius est igitur pia mens, & fama futura,
Multis nota, Deo grata, dicata bonis.

M. Mel. Gerlachius Sor. Lusat.
VViteberga 18. Feb.
An. Sal. 1589.